



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXC. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdovicvm Et Carolomannvm Reges.
Gratias agit de ipsorum erga Romanam ecclesiam affectu, & mutuum
studium pollicetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCLXXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LEONEM, LANDVLFVM ET LANDONEM.

Vt Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri
restituendum carent.*Leoni episcopo Teanensi, item Landulfo episcopo, & Landoni
Gastaldo patri eius.*

AVDITV certiori comperimus, quod filium Auxentii Capuani, nostrum dumtaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, & non bene tractans eum violenter teneret; quod admodum admiramur: & quod tale quid præsumpferit agere, moleste quippe accepimus. Vnde vobis nostri apostolatus literis iniungere dignum duximus, vt omnem operam detis, & ex nostra parte ipsi Attinulfo tamdiu insistatis, quoisque eumdem Auxentii filium, hominem scilicet nostrum, patri suo saluum restituat, & cum suis hominibus reddat illæsum. Alioquin sententiam nostram euadere non poterit, qui nostrum hominem tam simpliciter ambulantem affligere non contempsit. Vos tamen rogamus, tam strenue agite, vt vobis gratias referamus, & maiora vobis committere inuitemur.

EPISTOLA CCXC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM ET CAROLOMANNVM
R E G E S.

Gratias agit de ipsorum erga Romanam ecclesiam
affectione, & mutuum studium
pollicetur.

*Dilectissimis filiis Hludouico & Carolomanno gloriofissimis
regibus.*

AVDITA per venerabilem episcopum deuotione vestra, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habere, totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Vnde a nostra parte vos certos existere volumus, quia sicut dominus Carolus diuæ memorie impe-

imperator auus vester, ac postmodum genitor vester Hludouicus rex, sub protectione Romanæ ecclesiæ, nostraque apostolica tuitione vos commendauerunt, ita nostrum apostolicum affectum circa vos in omnibus ostendere, vosque adiuuare ac protegere paterna dilectione atque amore semper parati existimus. Præterea de his, quæ per iam dictum episcopum verbetenus mandaftis, ita vobis per eum dictis respondendo direximus. Nam ea quæ nostro consilio reperimus, & vobis innotescendo mandauiimus, ad vestrum honorem proficia esse omnino credite.

EPISTOLA CCXCI.

IOANNIS PAPÆ VIII.
AD HVGONEM ET ALIOS COMITES.

Gratias agit de fide, quam Ludouico & Carolomanno regibus seruabant.

Hugoni eximio abbatii, seu Bernardo, Guitoni, & aliis regni glorioſis comitibus.

AUDIENTES bonam famam de vobis, quod protectors, defensores, atque fideles Hludouico & Carolomanno excellentissimis regibus, qui nobis a progenitoribus suis commissi sunt, in omnibus existitis, gratias referimus maximas. Quapropter his apostolicis nostris literis magnificentiam vestram exhortamur, ut more fidelium parentum vestrorum, magis ac magis circa eos vestram sincerissimam deuotionem ostendatis, quoniam & nos, Deo propitio, in eorum adiutorio vobiscum pariter in omnibus prompti existimus: ut dignam exinde vos, non solum a Deo & a nobis, verum etiam & ab illis retributio- nem percipere mereamini.